



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An Missa sit testamentum, promissio, aut opus bonu[m]. titl. 111

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

secrate corpus de pane, &cæ. Ideò consecratum Sacramentum est verum Sacramentum, siue credideris, vel non credideris &cæt.

Quintus error, quòd communio impetret remissionem peccatorum, siue intra vel extra Ecclesiam quis fuerit. Hoc negat Paulus, qui dicit indignè, id est, siue virtute accipere, qui odium habent, & scissuras, 1. Corinthiorum II. Etiam sine charitate nihil prodest neque fides, neque Sacramentum, aut omne aliud opus quocumque bonum &cæt. Cauete ergo errores hos, & plerosque alios &cæt. qui seruntur istis temporibus &cæter.

Sextus error, quòd laicus non consecratus per verbum Dei & impositionem manuum, æquè potest consecrare sicut sacerdos consecratus, 1. Timothe. 4. Quoniam Deus non approbat illorum verba. Vide locum de Sacramento ordinis.

Septimus error, negare transsubstantiationem, id est, manere vinum & panem post consecrationem.

AN MISSA SIT TESTA-

mentum, promissio, aut opus bonum.

TITVLVS CXI.

NOTANDUM primò, quod solum vnicum est nouum testamentum, id est, lex Euangelica, Euangelium à Christo. de hoc dicitur Ierem. 31. Consummabo supra domum IS Raël & domum IVD A testamentum nouum, &cæt. Hebr. 8. & 9. Christum vocat mediatorem noui testamenti. Hoc testamentum Christus confirmauit suo sanguine, Matt. 26. & Marc. 14. Hic est sanguis meus noui testamenti, sicut sanguine animalium fuit confirmatum vetus testamentum, Exod. 24.

Hoc ergo nouum testamentum Christi sanguine confirmatum ideo est, vt professores illius, hæredes

T t 3 insti-

instituantur regni cœlestis. Mors igitur Christi nō est testamentū, sed testamenti ratificatiuum. Hereditas non est remissio peccatorum, quæ per Christi mortem abolerentur, sed æterna in cœlis beatitudo est hereditas, ad quā nisi remissis peccatis nemo conscenditur. Neq; legitur pro sanguinis potatione promissa remissionem peccatorum, sed ab effusione ipsius sanguinis, qui hoc credit. Mors ergo Christi tollit peccata. Sumptio Sacramenti nos vnit Christo, postea sequitur hereditas regni cœlestis. Hæc nobis legata est, non remissio peccatorum. Non est igitur Missa noui testamenti, lex noua complectitur Euangelium, præcepta, Sacramenta & promissa, atq; comminata nō continentibus. Inepta igitur est hæc collectio, Christus moriens fecit nobis testamentum, vt qui corpus suum manducaret & sanguinem biberet, remissionem acquireret &c. Non est igitur Missa testamentum.

Secundò, sic nec Missa est sola promissio, scilicet accipiens Sacramentum, consequatur remissionem peccatorum. Nam in Missa non solum recipimus beneficium, sed etiam Missa fit quodam officio nostrum. Nam ibi etiam mortem Domini annunciamus, i. Cor. 11. Hæc quotiescunq; feceritis, in mei cōmemorationem &c. Luc. 22. Igitur hoc opus quoniam ad nostrum spectat officium: ob id Missa non solum est promissio, nec Missa vel Sacramentum remittit peccatum, sed fides, quæ credit Christum mortuum pro peccatis nostris, Rom. 4. Hæc acquirit remissionem, quæ Christus per Sacramenta distribuit. Sacramenta autem non remittunt peccata, sed media sunt &c. Non est igitur Missa sola promissio.

Tertiò, ex quo Christus iussit consecrare panem in corpus suum: subindè, hoc facere in sui commemorationem, Lu. 22. & accipere & manducare: ergo obediens in vera fide & deuotione, sine dubio facit opus bonum. Ergo Missa opus bonum à Christo præceptum, scilicet, hoc facite &c.

At inquit: Nos recipimus bonum opus, non autem facimus. Nā Sacramentis nos solum recipimus bona, at sacrificijs & bonis operib. nos Deo aliquid damus. Ergo differunt sacrificium & Sacramentum. Respond. 1. Cori. 4. Quid habes quod non accepisti? ane fides est bonum opus? Philip. 1. Confidimus in Domino, quod qui cepit in vobis opus bonū, id est, fidem & ceter. Et 1. Paral. 29. Tua sunt omnia, & de manu tua suscepimus quę dedimus tibi. Nunquid nō elemosyna, oratio, &c. sunt bona opera? attamen illa omnia nos etiam accepimus. ipse Deus est alpha & ω, principium & finis omnium bonorum operū.

DE CANONE MISSÆ.

TITVLVS CXII.

PRIMO, Ambrosius in Epistolam Pauli 1. ad Timot. 2. Canonem vocat, Ecclesię regulam, formam & morem celebrandi Missam, sicut Apostolus describit, quę consistit in obsecrationibus & orationibus, postulationibus & gratiarum actionibus: & dicit eadem venisse ab Apostolica traditione, & licet aliqua superaddita sint in canone à Gregorio & alijs, attamen seruanda, eò quod per totam Ecclesiam longo vsu sint conseruata.

Secundò, odiosus est Ecclesię catholicę canon hæreticus, scilicet propter duo, Primò, quod vocamus panem nondum consecratum & vinum, sicut munera, dona, sacrificia, & petimus propter illa remissionem peccatorum, & etiam eo fine offerimus. Secundò, quia inuocamus sanctos, mortuos homines, quę omnia vergunt ad derogationem Christi. Primò non dicuntur sic panis & vinum, secundum hoc quod iam sunt, sed secundum id, quod mox futura sunt. Sic Genesis XXV. Deus inquit Rebeccę: Duo populi in utero tuo sunt, & duę Gentes egredientur de utero tuo, &